

CONTRACTUS SPONSALITII

Inter Honorem, & Virtutem

FACTI

Per

ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

D. STANISLAUM ANTONIUM

SZCZUKA

REFERENDARIUM REGNI,

LUBLINENSEM, VARCENSEM,

GUBERNATOREM.

& Per

ILLUSTRISSIMAM DOMINAM

D. CONSTANTIAM MARIANNAM

POTOCKA

Tanti Mariti Lectissimam Conjugem

INSTITUTI,

Inter festivos Hymenæi plausus

Panegyrico Calamo

A Collegio Regio Vladislai IV. Scholarum Piar:

SUBSCRIPTI.


Anno,

Quo Deus cum homine unionis Contractum inivit

1695. Die 13 Februarij.

VARSAVIÆ Typis S. R. M. & Reip:
Collegij Scholarum Piarum.

In Gentilitia Arma ILLVSTRISSIMORVM NEOSPONSORVM.



I.

Non viles stipulas, nec parvæ frugis aristas,
RASTRA per immensum SZCZVKOVIANA legunt;
Scilicet hostiles semper placuêre manîpli
Rastris, heroum vel clypeata seges.
Si Domui Vestræ similes dant RASTRA manîplos
Insignis famæ quantus acervus erit!

II.

Vna datur iunctis animo, benedictio Sponsis,
Decurrant faustos ut sinè nube dies;
Vos CRVCE POTOCIA signans benedictio ternâ,
Vestris in triplo sortibus omen erit.

PRÆFATIO LYRICA AD ILLVSTRISSIMOS NEOSPONSOS.

DESISTE tandem bruma rigentibus
Inflata Cauris, cedite frigorum
Soles avari, cum nivosis
Grandipluus Boreas kalendis
Cedat vel ipsas post Garamantides
Compulsus oras, detonet algidis
In tam remotum clima nimbis,
Et quatiat glaciale pondus
Suis pruinis inuia, non ubi
Flores metendi, connubialibus
Sertis adaptandi, canistra
Chloris ubi calathosq; plenis
Subdit racemis, Sarmaticis super
Par grande terris, Nobile coniugum
Fædus coronatura, vittas
Consocio positura collo.
Vix ista pando, iam Driades suis
Binæ choreis, & viridantibus
Texêre quas statim coronas
Ex hederis, roseoque mixtim
Nexu ligatas suppeditant, quibus
Submitte primus tempora tænijs
Ornanda STANISLAE, SZCZVCIS
Grande iubar, LVCIIS que lumen

Illu-

Illuſtre ceris, ſeû potiùs novâ
Cum luce Titan per patriæ Polum
Domûs caruſcans, quæque ſparſim
In proauis atauiſq; quondam
Suſpexit orbis lumina, copijs
In Te refudit, ſedula Nomini
Tuo laboratrix, Tuæq;
Plus ſolitò ſtudioſa famæ
Fortuna: tantis tantus adoreis
Submitte frontem; Tu quoque ſtemmatis
POTOCCIANI magna magnis
Progenies veneranda cunis,
Vel magna ſolo Nomine, maximis
Summiſque ſuppar, coniuge maximo
O digna conjux, digna ſignet
Gemmifluum cui laurus ævum
Et cum marito; prendite Conjuges
Has ergo palmas, quas ſpecioſiùs
Feſtivus ad præſens miniſter
In geminis Hymenæus unum
Cor vinciendo porrigit, aurea
Hinc ſæcla vobis hinc pretioſior
Vireſcat ætas, hinc beatis
Proſperitas famuletur horis
Hucuſque, donec videritis procul
Veſtros nepotes; vivite grandibus
Grandes Neoſponſi vetuſtas
Pignoribus cumulando ceras.

Ita Vovet
Nomini Veſtro Devinctiſſimum
Collegium Varſavienſe Scholarum Piarum.

PANEGYRICVS.

REPTANTEM humi facundiam terrent *Szczukoviani* Montes altiori ſupercilio, terret ſublime decus *Potoccianæ* Crucis, ad quod eluctari giganti etiam eloquentiæ minimè conceſſum, ILLVSTRISSIMI NEO-SPONSI. Propiùs huc ne accede Apollo cum tua teſtudine Pöeticos figente pedes, præpetibus Mercurij talarijs non licet hanc altitudinem involare. Vt verum fateamur, penes diſertum Tui oris eloquium *Illuſtriſſime Domine Neoſponſe,* quælibet ſvada infans eſſe deſiderat, ut illi faciliùs parcas, ſi deliquerit, reptare illam, imò & cadere non pudet, dummodo ad Tuos pedes procumbat. Alij pro roſtris, nos pro *Szczukoviorum* Raſtris oratores eſſe volumus, quibus magna illorum ingenia in eloquentiæ campo auream meſſem colligere didicerunt. Quælibet vocalis ſparſa per paginas Stentorem agere vellet, omnis conſonans tonantem exprimere Periclem diſcuperet, quævis muta loqui, omnes liqvidæ optarent diffluere in plauſus vectigales Nomini Veſtro NEOSPONSI ILLVSTRISSIMI. Quotquot literas exiguus ingenij partus numerat, nullam invenietis, quæ non ſummo arderet deſiderio præli anguſtias ſubire, ut quantocius nigricantem ſepiæ umbram favorabili Veſtræ pupillæ radio illuſtraret. Ipſa papyrus Typographico incluſa carceri inter tot preſſuras, & tormenta, auream putabat eſſe libertatem, quia Veſtris parabatur oculis: non ſenſit inflicta vulnera,

brevi Veſtræ manus attactu ſanāda. Plumbea literarum ſemina ſponte in chartam cadere cupiebant, antequam Typographorum manibus jacerentur, ut in Veſtræ gloriæ ſegetem excreſcerent, gentilitio Raſtro colligendam. Vix illam ſementem ſtanneam artifex dextera in paginam ſpargere cepit, ſtatim uberrima famæ Veſtræ meſſis apparuit, cui Vos gemini ſoles præproperam acceleràſtis maturitatem. Parum abfuit, quin plumbum illud typographiæ noſtræ in literas efformatum præ inſolenti lætitia colliqueſceret, quòd in Veſtrum Panegyricum ſuo ordine componeretur. In ceram quodammodo durius metallum molleſcebat, ultro diffluens mellea gaudiorum dulcedine, quia ad Veſtros parabatur applauſus. Dicam potiùs ſine adminiſtratorijs manibus tota alphabeti ſeries undique convolare geſtiebat, & ſe ipſam in dictiones coordinare, ne ad Veſtra obſequia moram aliquam pateretur. Impreſſæ tandem periodi una alteram præuertere volebat, unus verſus alterum anticipare, ut citiùs Veſtros incurriſſet obtutus. Adeoq; non una facies chartæ pudore quodam ſuffuſa erubeſcet, ultima Columna primæ fronti invidebit, ſi non priùs Veſtris ſeſe præſentaverit oculis, atro ſqvallebunt ſitu mæſti characteres, ſi quiſpiam illorum apud vos ILLVSTRISSIMI NEOSPONSI primum non merebitur aſpectum. Feliciſſimam tamen quamlibet dictionem reputabimus, quando Veſtro ſerenata intuitu pulchriùs inter literarum umbras reſplendebit.

Szczukouÿ ducunt ſuam originē à Lucÿs Romanis.

Sæpenumero indignatur ſtridens præ iracundia calamus obſcuris nimiùm Nominibus, ideoq; atram bilem ſuo effundit atramento, quia non habet, quod in illis poſſit venerari: *Szczukovianæ* Domui iuremerito applaudit, quæ à Romanis Lucijs ſuam ducens originem, quotquot Nomina recenſet, tot clariſſima accendit luminaria. Primos fontes aviti Sangvinis ſi indagamus, ad manum ſunt Collatinus Conſul, acerrimus publicæ libertatis aſſertor, Papyrius Dictator, Annæus Seneca, Libo,

Libo, & plures alij Luciorum nomine insignes. Educatrix tantorum heroum Roma eam sibi felicitatem gratulatur, quòd è suo Tyberi ferreis induti squammis Lucij Polonum influxerint Vandalum: ipse tamen Tyberis iacturam illorum passus millenas despumat iras, & hucusque remurmurat querulantibus aqvis, quot spumas, tot oculos eliquans in lachrymas, prodit suam invidiam plumbeo livescentes colore eiectans fluctus, ut invidere semper videatur Lechico Vistulæ, ereptam sibi miratus fortunam. Per quandam communicationem tantū decus porrexerunt Romanæ Aquilæ Polonæ Aliti; nempe reginas avium, non plebeias volucres tam Nobilem sarcinam portare decuit. Et bene est, quòd fulminum administræ alites in suo educaverint nido primos *Szczukovianæ* Domûs Aborigines, ut longa seriè euntes posteros in fulmina hostium efformâssent. Egregiè sanè Tua Propago ILLVSTRISSIME Domine inter Laureatas Romanorum Consulum secures eviruit, & modò pulchrè emicat purpurascens sanguinis aurora in illa Vrbe, quæ purpurei Senatus murice rubescit. Dulcem sui memoriam reliquerunt in capite orbis Illustres Tuæ Ceræ, mella quædam recondentes, quorum dulcedo multos pertraxit, ut veluti densa apum examina convolent ad gratulatorios applausus. Gentiles etiam Romanorum Dij cæleste nectar, & ambrosiam libenter ab ore suo amovissent, si illis svavitatem hanc diutiùs gustare licuisset. Ardent Luciorum nomina vel ipso ethymo ceu splendidæ faces in posthumis cineribus, cedit mortualis glacies tanto æstui, ad ignes æstivis caloribus maiores frigida fatorum hyems incalescit. Videre est in Latinis Livij, Taciti, & Svetonij historijs illorum egregios ausus, retrogradis temporibus stupendos, secuturis vix imitandos. Latent hucusque Martiales Luciorum flammæ in atris literarum carbonibus, quos ad perennem memoriam Historiographorum calamus expressit. Sudant sepulchri marmora non tam naturaliter, quàm sub

pondere tantorum Nominum, aut potiùs fatis magnorũ virorum illachrymantur uberiori ſtillicidio. Alibi graſſantes per libros tineæ Illuſtrioribus titulis audent acutos infigere morſus; Luciorum nomenclaturam antiquioribus inſertam faſtis adeo reverentur, ut niſi molliori oſculo tangere præſumant. A tantis Maioribus ductæ ſcaturigines SZCZVKOVIANI Sangvinis manârunt per Bohemiam, ubi primùm Hoſtij appellati, poſtea, appoſito ad Avitos tres Colles Raſtro, Lucij Raſtellini nuncupati, digniſſimos egerunt Barones. Vladislao Bohemo à Balthide ad Iſtrum & Tanaim ferme decennali pugna cum Scythis Clariſſimo bellatori in Regem Poloniæ aſſumpto Raſtellini expeditionum omnium ſocij, in Ruſſiam colonias deduxerunt, Romanumq; Luciorum nomen in Polonicam denominationem SZCZVKOVIORVM immutârunt. Succeſſu temporis diffundebantur Illuſtriſſimi eiuſdemSangvinis alvei perMaſoviam, Litvaniam, quocunque terrarum hic Rubicon pervenit, non erubeſcenda ſuæ famæ veſtigia reliquit. Adhæſerat individuus comes Vitoldo Litvanorum Duci Paulus Raſtellinus SZCZVKA contra Tamerlanem Scytharum Imperatorem, quamvis difficile erat Æoliam hanc ſuo turbine regna involventem compeſcere, non homines ſed ventos perſequi, ipſo Aquilone, aut Africo celeriores. Involabat generoſo ſpiritu palabundos Gelonorum cuneos magnanimus heros SZCZVKOVIVS, donec occumberet armis illorũ confoſſus. Iterum Pauli cervix lacte manavit, ſed candoris illibati erga patriam. Nova in cælo apparuit via lactea, quam Tartarus effudit. Non caſus eſt, ſed fortuna pro bono communi in proprio ſangvine naufragari, pro Reipublicæ incolumitate mori, eſt iterum naſci ad gloriam. Martiales viri licet millena pro ſalute Patriæ devorent pericula, adhuc famelici ieiunant, ipſa tantùm morte ſaturantur: quod ſi vitam claudant, habent patentes vulnerum portas, quibus novum vitæ genus nunquam morituræ laudis adeant. Stupuit maior

Polo-

Polonia Pauli SZCZVKOVII Filium, qui cum Melſztynio, & ſubinio Palatinis Legatus Siradienſium Comitiorum decreto, Civile bellum extinxit. Grande illud incendium buſtuarijs cineribus totam Poloniam obruiſſet, niſi tantorum Virorum capita ſuo conſilio obſtitiſſent. Bellum quippe tantò periculoſius, quantò inteſtina arma ſunt cordi propinquiora. Quæ foris minantur, caveri poſſunt, quæ intus gliſcere incipiunt, graviùs ferire ſolent. Eripuit Marti haſtam, & clypeum, doctior Pallas in ore SZCZVKOVII, adeoq; ferox Gradivus qui millenas manus non timebat, illius facundiori lingva exarmatum ſe eſſe fatebatur Ita omnium animos compoſuit, ut illæ viperæ propriæ matris rodentes viſcera lethale depoſuerint venenum. Plurima efficit mite conſilium, & quamvis agni manſvetudinem induat, validiſſimum tamen arietem admovet infractis cordibus, ut deditionem proclamare cogantur. MATHIAM SZCZVKA bellicis clarum facinoribus vetuſtiſſimi teſtantur annales; mitratus honor Litvanorum Principum exornat, quem in iura conſangvinitatis traxit connubiali fædere cum Duciſſa Viſgierdiana: auguſtis nexibus Ducalis mitræ magna illigavit merita, non ignarus altiores affinitatis gradus deprimi abſq; conſangvinearum virtutum proſapia, marceſcere fortunatam cognationis propaginẽ, ſi illi probitatis ſurculi non inſerantur. Alia tandem aſſurgit ſeges clypeata virorum penes gentilitium Raſtrũ, ALEXANDER SZCZVKA Præfectus cataphractæ cohortis, umbratilem vitam peroſus, ſub ſplendido Podoliæ ſole apricari voluit. Planeta ille ſignum Turcici ſcorpionis ingreſſus fuerat, brevi in Thracicum ſagittarium migraturus, tot ſoliſequia habuit, quot ſtrenuos bellatores, ex quorum numero ALEXANDER ſemper ſuum reſpiciebat Phanetem, in bellicæ virtutis theatro cruentus actor multos generoſitatis ſuæ habuit ſpectatores. Paternæ fortitudinis hæres eiuſdem Filius Bellonæ ſtipulatam dedit manum, cuius obſequijs totum vitæ curſum im-

Mathias Szczuka.

Alexander Szczuka.

impendit. Ad Korſunum in Tauricanas compedes raptus pro publica libertate mancipium fieri voluit. Frenanda erat vinculis magna in agendo celeritas, ut ſibi tantiſper ab irrequietis laboribus temperaret. Nunquam triumphalius claſſicum inſonare poterant pedum tibiæ, quàm dum ferreis tinnirent catenis. Pilaviecciana clades tanto bellatori ultimum eripuit diem, non tamen ſine magno gloriæ perennis fænore; quia cruenta mors, cæli

Auguſtinus Szczuka. purpuratum effecit. AVGVSTINVS SZCZVKA cor igneum in hoſtem ferens glaciales frigidi Septemtrionis animas aduſſit, Sveticum leonem mitiùs ſapere edocens, ac tandem pro amore patriæ victima cecidit, non fatalibus taxis, ſed laureis coronata. Pari dexteritate PETRVS SZCZVKA confertiſſimas Svecorum phalanges irrumpebat, quibus in prædam ceſſit, totoq; biennio carceri mancipatus revera Petrum ad vincula ſe eſſe probavit.

Stanislaus Szczuka. Parens Illuſtriſſimi Referendarij. STANISLAVS SZCZVKA Parens Tuus Illuſtriſſime Domine *tranſtulit aureo ſculpenda coelo nomina: quæ procul Memnonq; & auroræ rubentis regna legunt mediisq; veſper miratur aſtris.* Ad magna natam illius indolem publica probârunt conſilia, & ſangvinea Martis acies magnanimitatem exploravit. Non tam maturæ ſenectutis pruinâ tectus eſſe videbatur, quàm intaminati candoris nives erga bonum publicum præferebat. Immerſabilis tanti viri animus omnes fatorum procellas contemnebat, ſerenum SZCZVKOVIANÆ frontis ſævam periculorum tempeſtatem deſpiciens, inter ferream grandinem pulchriùs emicabat. Inumbravit victricibus laureis gentilitios Montes, ne hoſtium fulminibus quaterentur, inter demeſſos barbarorum manipulos magis accendit avitos ſui Raſtri decores. Ita venabatur omnium affectus, ut alatum amorem non viſco adulationis prenſaret, ſed ſinceræ mentis illicium captandæ huic volucri proponeret. In publico conſeſſu dicendi ſvavitate audientium animos demulcebat, *penituſq; loquentis Hyblæis vox miſta favis, cui ſibila, ſerpens poneret, & ſævæ vellent ſervire nouercæ.* Graue in conſilijs pondus ita o-

mnium

mnium ora catenavit, ut elingves esse viderentur, profunda defixi admiratione. Nè minimùm quidem recessit à virtute sui Parentis MICHAEL GRATIANVS SZCZVKA Gubernator Vitagoliensis, Frater Tuus Illustrissime Domine, qui prima militiæ rudimenta posuit contra rebellem Cosacorum audaciam. Lethali sauciatus vulnere, indelebilem suæ generositatis characterem memorandis gloriæ fastis inscripsit. Rubro colore notandus erat dies Palmarum, quem per anni circulum sæpiùs celebrabat. Sangvine temulentus chalybs non poterat suam extingvere sitim, nisi SZCZVKOVII cruorem amore Patriæ bullientem avidiùs hauriret. Serenissimi Vilhelmi Friderici Electoris Brandeburgici castra secutus, obsessum Stetinum inter primos acerrimè oppugnavit. Grandi mugitu detonabat *æreus Ætnâ Mulciber, igniuomo præceps ex ære procella erumpens flammæq; truces* grassabantur: undiq; ferreus imber præsentissimũ minabatur periculum, minimè tamen SZCZVKOVIVM exterruit, qui indeflexo supercilio plumbeam excepit tempestatem. Hosti formidandus, domesticis affabilis, omnes gratias in Gratiani Nomen immigrâsse ostendit. Ad obsequium Patriæ semper penatam obtulit celeritatem, ut se alatum Michaëlem probâsset. DANIELEM & IACOBVM SZCZVKAS *per populos garrula differet bigis gloria candidis, & seris retinet fama nepotibus.* Daniel vir desideriorum, quia omnium animos demerebatur: inhiantes suæ vitæ leones habuit, infensos dũtaxat hostes; immani tamẽ illorũ rictu minimè absorptus, risit inanes conatus. Alter IACOBVS verè filius tonitrui, mucronis fulgure barbarorum oculos perstrinxit, alios fulminatrice dextera prostrauit. Non tacebunt immortales fasti clarissimum nomen HIERONYMI SZCZVKA Ensiferi Trocensis, cui tenera ætas humanioribus literis exculta, & aulica politie instructa, pulchra temporis dispensatione effluxit. Cum Illustrissimo OGINSKI protunc Palatino Trocensi, postea Cancellario M. D. L. Pannones Panico timore perculsos fugavit. Penes igneum

Michaël Szczuka Frater Illustrissimi.

Daniel & Iacobus Szczuka.

Hieronymus Szczuka Ensifer Trocensis.

Oginſcij animum, alter Flaminius martiali æſtu ardebat. Lectiſſimæ militum coronæ inſertus addenſatas Turcarum phalanges audacter perrupit, primos ſuæ Domus Aborigenes Lucios Romanos æmulatus, quibus fuere *prodiga vitæ pectora, & extremam nihil horreſcentia mortem.* Præter alios complures, uni ex primis Ductoribus Threijcijs lethale vulnus inflixit, ipſe tandem lætus pro incolumitate patriæ occubuit. Ita ſanè perennis gloriæ nundinatores, propriæ vitæ impendio immortalitatem mercantur, libenter ultimam diem claudunt, ut famæ aperiant auguſtalia. Vltimum inter vitâ functos ponimus, quia non ita pridem fatis abreptum CASIMIRVM SZCZVKA Epiſcopum Culmenſem, cujus viva imago hæret noſtro cordi inſculpta. Hucuſq; morti illius Scholæ Piæ adgemunt, non ſine viſcerali ſingultu. Egregias tanti viri dotes ad calculum revocare impoſſibile, ſaltem preſſiori calamo delibare conſentaneum. Non tantùm patria venerabunda ſuſpexit elevatæ illius mentis faſtigium, altius gentilitijs Montibus, etiam exteræ nationes ſtrupuerunt. Peragravit Germaniam, Galliam, Italiam, ubiq; hoſpes, ſed in omnium affectu domeſticus; rapuit vultûs modeſtiâ exoticorum animos, matura teneræ ætatis gravitas in ſui admiratione immotos defixit oculos, irretortas ſuſpendit palpebras juvenilis conſtantiæ ſenium. Alij propriæ laudis venditores ad exteros pergunt, ut fumoſas majorum imagines in monopolio exponant, vix aliquem inventuri emptorem, qui illas juſto pretio æſtimet. Multi ad remotas orbis regiones properant, ut mundi plagis animum ſaucient, vel indelebilem ignominiæ cicatricem in patria limina reportent. Sæpiùs in capite orbis, caput amittunt, ideoq; non habent, in quo laureas reponant. Vt nativos orbi præſetēt ſplendores, veluti erraticæ ſtellæ diſcurrunt, meliùs ſi fixæ domi luxiſſent. Placet peregrinantium animus, ſi ſpongiam æmuletur, honeſtos extraneorum mores imbibens, vel chamalæontem exprimat, omnigenæ virtutis trahens colorem, alioquin parum va-

Illuſtriſſimus Caſimirus Szczuka Epiſcopus Culmenſis.

litu-

liturus, si alienâ tantùm vivens aurâ leniores captat Favonios. Promovit palmares gressus sub peregrinum solem CASIMIRVS, ut domestico suo Rastro plenos virtutum acervos collegisset. Involabant illius Montes Romanæ aquilæ, gratissimo advenæ festivo alarum applaudentes remigio. Salutauit hospitem suis Austria alaudis, quæ suaviori concentu millenas frangebant voces. Pulchriùs candicabant nativis nivibus Gallica lilia ad ipsius ingressum, vix pedem aliò movit, moesti quodammodo flores lividum induerunt colorem, vel invidentes alijs mundi partibus ejus præsentiam, vel lugubri cultu suam exprimentes tristitiam. Tandem redux in patriam conquisitum sapientiæ thesaurum asportavit, cui reponendo non alius commodior locus, quàm regia aula Ioannis Casimiri, qui in funesto bellorum turbine viros omni absolutos numero ad consilia quærebat. Grandem effuderat procellam Mars Sueticus à Balthico mari, expectans Polonæ felicitatis naufragium, sed nescivit fortunam Oceani fuisse filiam, quæ cruentis etiam fluctibus demergi non potuit. In illa bellorum tempestate, primus ex intimis ministris, sollicito Principi edaces curas suâ prudentiâ optimè scivit relevare. Pulchra obsequij gloria, non tantùm herili fortunæ famulari, sed etiam infelicitatis pedisequum esse. Æquali passu dominorum vestigijs insistendum, sive cum Perseo rosas calcaverint, sive sortis iniquæ carduos. Ad Gustauum Regem, & Suecorum castra à Serenissimo Principe delegatus, ita maritimam gentem furibundos æquoris æstus imitantem verborum lenocinio composuit, ut iras ulteriores despumare non fuerit ausa, tranquillæ mentis spondens halcyonia. Fracta tot difficultatum glacie nomine Commissarij ad infestam à Suecis Pilcensem arcem Stanislai Warszycki Castellani Cracoviensis, ordinatus, illius deditionem evicit. Siradiensis Nobilitatis desideria secutus, ad tractandum cùm Piron Italo Suecis militante, omnia ex voto effecit, ad nomen Serenissimæ Ludovicæ Petricoviensi ar-

ce excedentibus Succorum præsidiarijs, ipso deniq; Gubernatore in Regis nostri, & Reipublicæ fidem non illibenter juramentum deponente. Iterum Legatione functus ad Bogdanū Chmielnicciū rebelliū Cosacorū Ducē sua suavitate agreste illius ingeniū cicuravit. Nescivit immanis hæc bellua venerari Regiæ Majestatis characterem in altero Ablegato, quia contra regalis tituli serenitatem grandi detonans tempestate, propiùs accedere volentem, globorum grandinem effudit. Hospitem excepit, sed plumbeis glandibus. Felicior fuit adventus CASIMIRI SZCZVKA, ubi illum ferocem leopardum in mitiorem agnum mutavit. Sua affabilitate Georgium Chmielnicki, Bogdani Filium ad obsequium Principis adduxit, Masep-pam, prætextatum juvenem aulæ Regiæ officijs aptavit. A Martiali casside ad spiritualem militiam translatus, quæ ut tanti viri merita coronaret, Præpositura Varsaviensi, Canonicatu Cracoviensi, Abbatia Paradisiensi eundem cumulavit. Altiores Infulæ conspirârunt in emeritum CASIMIRI caput, nisi illud sanctioribus tiaris modestia subduxisset. Stetit inexpugnabile pectus bicorni cuspide, veluti gemino pulsatum ariete, vix tandem generosum honoris transfugam Culmensis Vittæ arctior nexus invitum constrinxit. Multorum ambitio ad alta fastigia alienam gratiam implorare didicit, illius demissio plorare tantùm edocta ad Præsuleæ dignitatis onus humeris impositum, ardentissima omnium vota fletu extinguere volebat. Cādidum in senili ætate olorem lachrymarum fontibus innatantem omnes non sine gemitu stupebant, magis tamen in illis torrentibus flagrabant desideria, ut in Episcopali Cathedra dignissimum Antistitem venerarentur. Profusam illius liberalitatē loquuntur Lomzæ, Tarcinij restaurata templa, nosocomia recipiendis mendicabulis erecta, annuoq; censu dotata. Munificentia vehementiorem fluminis impetum æmulatur, ridet obices, dissoluit machinas: Nilus inundans, si coneris compescere, plùs crescit, & obstantia perrumpit. Exsiccantur faciliùs cisternæ,

quæ

quæ aquas tenent, quàm fontes, qui dimanant: Oceanus quidam eſt liberalis animus, qui ſemper recipit, dum ſemper effundit. Deprædicabunt poſthumi annales munificentiſſimi Præſulis beneficam manum, loquentur doctiores faſti plenis effuſam alveis in pauperes prodigalitatem. Diutiùs ſuaves Majorum Tuorum Vmbras captaret noſter calamus in primo ſtatim limine SZCZVKOVIANÆ panegyris laſſatus, adeoq; non ſæpiâ, ſed quodam ſudore perfuſus: verum evocat illum Tuæ Illuſtriſſimæ Domûs ſuccedanea tot magnorum virorum ſeries, quos feliciter ſuperſtites Polonus orbis adorat. IACOBVS SZCZVKA Canonicus Cracovienſis fatigat oratorum ingenia, longo meritorum circuitu rotat capita, ut vertiginem pati cogantur. Acutum illius ingenium omnem perplexæ ambiguitatis nodum perſtringit, animi terſiſſimus nitor veluti diaphana ſpeculi cryſtallus, quam ipſæ tantùm virtutum Pulcheriæ inſpiciunt, nullus invidiæ baſiliſcus ſeveriori oculo intueri audet, nè refracta luminis majeſtate ſe ipsū perimat. In rebus agendis cum maturitate juncta celeritas par Infulis caput oſtendit, ardentiſſimus Divini honoris zelus multorum accendit animos, ut majori ſemper conatu ad altiorem virtutis gradum contendant. SEVERINVS SZÇZVKA, Canonicus Culmenſis, ſplendidiſſima fax in candelabro Eccleſiæ, cui antea *arſit ápex capiti, criſtæq; à vertice flammas fundebant, & vaſtos umbo dedit aureus ignes.* Præluſit nitratis Gradivi nimbis accenſo ad aras thymiamati, poſt caſtrenſes lituos ad ſonum Evangelicæ tubæ properavit, antequam in vinea Domini operarium ageret, plenis faſcibus triumphales palmas collegit. Maxima tamen hæc victoria, quòd ad altare captivum in manibus Deum teneat. Novam quotidie expugnationem cæli aggreditur, ejaculatorijs orationibus pulſans ſupremam arcem, pro ignitis dolonibus ardentes affectus cæleſti præſidio admovet, ſanctioribus Pergamis profundæ humilitatis cuniculos ſubijcit infatigabilis expugnator. Ad Dei cultum & templi decorem multa ero-

Iacobu[s] Szczuk[a] Canonic[us] Cracovie[n]ſis.

Severinus Szczuka Canonicus Culmenſis.

gat profusior illius dextera, ad sublevandam pauperum inopiam toto se effundit pectore. Plenis examinibus convolant mussitantes illæ apes, & semper inveniunt immarcescibiles gratiarum hortos, ex quibus mella consolationis colligāt. Millena meretur encomia VENCESLAVS SZCZVKA Archimagirus Regni, Gubernator Vavelnicensis, animosissimus bellator sub Ioanne Casimiro in omnibus prælijs, quæ in magno Ducatu Litvaniæ contra Moschos gerebanrur. Contrivit triumphali calcaneo squammis loricatum Moschoviæ draconem, ne patritijs montibus adreperet, in quibus magnanimi tantùm leones sua posuerunt cubilia. Hucusq; personat vocali famæ classico Chocimensis pugna ingentes VENCESLAI conatus, ubi Polonorum *manus omnis in armis, omnis & in capulo* Othomanicæ lunæ fregit cornua. Protunc invictissimus Dux, hodie Serenissimus Monarcha inani fastu ebrium orientem magis ingurgitavit Musurmannico sangvine, ut mentis inops, caput, & cerebrum amiserit. Risit totus orbis incrapulatum helluonem, qui turpiter in suo lapsans cruore volutabatur, gravi absorptus temulentiâ. Armamentarij Rēgni curæ admotus SZCZVKOVIVS, fortiori suo robore, quàm bellicis machinis fregit hostium cuneos, ac tandem Commissarius Imperatori suo Chocimensem arcem aperuit. Serenissimi Principis fulgurantem Clypeum secutus, quocunq; vibratissimum jubar proijceret, sive in rebellem Borysthenem, sive in Viennæ defensionem, vel Bassarabiam vix aliquando Polonorum calcatam vestigijs. Vbiq; imperterritum gessit animum VENCESLAVS *audaces effusus in iras, conseruitq; manus, nullo quassabile ferro obijciens caput in cædes, sævosq; tumultus.* Et MICHAELEM SZCZVKA Nobilitatis Principem, & Notarium Terrestrem Trocensem inter bellatrices animas Litvania numerat, infractum ille pectus decumanis exposuit periculis, per latepatentes campos effusam Hungarorum colluviem perrumpens. Serena frōte spectabat ex illis nubibus cruentam pluviam, quæ ter-

[Margin: ...ceslaus ...zuka ...hima... ...is Re... Guber... ...or Va... ...nicēsis.]

[Margin: Michaël Szczuka Nobilitatis Princeps, Notarius Terrestris Trocensis.]

ram purpurisso induerat, semper magnanimo heroi accubebant orexim crudiora belli obsonia, tormentariæ pilæ pro suavioribus fuêre pulpamentis. In adorationem tanti nominis cadebant aurei Pannoniæ montes, gentilitios ejusdem colles submissa venerantes cervice. Rapitur in similes ausus martiali spiritu PETRVS SZCZVKA Ensifer Mielnicensis, *qui dulces lituos, ululatumq́ prælia gaudet auscultare, leves agitans in bella lacertos.* Hoc unicum sufficit ad Tuæ Domus encomium Illustrissime Domine, quòd ad ipsam Viennam in exercitibus tam nostris, quàm exoticis septem numerabantur SZCZVKOVII. Dixisses in Austriacæ Fasciæ Zodiaco septem luxisse Planetas, qui hostium vires nocivo labefactabant influxu.

Petrus Szczuka Ensifer Mielnicensis.

Vltro influunt vectigalem Tuo Nomini pennam Illustrissima sangvinis materni decora, refracto à Ducalibus mitris circumfusa splendore. Avia Tua Illustrissime Domine REGINA DOMACHACKA ex antiquissimis Ducibus Domachaccijs. Mater ex Ducibus NIERONOVIIS, quorum præclara gesta in posterorum memoriam vetustissimi transmittunt annales. Primus NIERONOVIVS in consangvinea educatus aula Ducissæ Russiæ Olha, quæ Constantinopoli sanctioribus abluta thermis, assumpto nomine Helenæ, in Russiam adhuc Ethnicam prima cum fide ritus Græcos invexit, cum qua simul NIERONOVIVS lustrici fontis salutari lavacro regeneratus, orthodoxæ religionis acerrimus extitit propugnator. Suspexit generosum militem Vlodimirius Suiatoslai filius, ideoq; Ducalem clavam eidem contulit, ita persuasus, clavatum hunc Herculem septicipites hydras detruncaturum. Vlteriores Principis gratiæ in Nieronovium plusquam septenis Nili ostijs exundabant, in qua beneficiorum eluvie velut alter Policrates signatorium annulum invenit. Pulchriùs sigillatoria gemma enituit penes hunc infractum adamantem, ut pote vibrantioribus ejusdem radijs illustrata. Mittitur Legatus ad Imperatorem occidentis, qui Vlodimirio adhuc gentili negatam, tandem

Splendores Maternæ Domus Illustrissimi Domini Duces Nieronovij.

 Catho-

Catholica fide initiato, promissam Imperatoris filiam in connubium deduceret. Non umbratilis anima illustres Hymenæi faces sua persuasione accendit, nobilis paranymphus lætum orientem in occidente reperit, ubi Serenissimam Sponsam coronato Principi deduxit. Legationis ejusdem Comes Budusius, Ducis Secretarius magnas dotes in *Nieronovio* admiratus, unigenitam filiam eidem in matrimonium elocavit, magnis favoribus cumulante Principis dextera connubiale fædus. Successor Vlodimirij Iaroslaus versatam in omnibus indolem Nieronovij arbitratus, illum à consilijs habuit, tandem tradita in vitæ sociā Venceslaa sorore Casimiro Regi Poloniæ, Gnesnam perrexit ad novæ Reginæ coronationem, *Nieronovio* Ductore stipatus, cum aliquot armatorum millibus. Deprædicatam à Iaroslao *Nieronovij* generositatem libenter Casimirus audijt, eidem in gentilitium decus data discerpta Sagitta penes dimidiam Lunam, & stellam, optimo *Nienorovianæ* magnanimitatis argumento. Æmula paternæ gloriæ filiorum virtus, scilicet Erasmi, Alexij, Marci *Nieronoviorum* ad majora semper eluctari voluit. In aula Casimiri Erasmus Mareschalci munere functus, morum gravitate cor Principis rapiebat, omnium captabat affectus. Arduum omnino est, in aulicæ vitæ freto latrantes invidiæ scyllas evitare: quandam raritatem sapit, in hoc pelago ad æmulationis scopulos non impingere; non unus post naufragium *nudâ iacuit Palinurus arena*: *Nieronovius* satis cautè has cautes prætergressus, omne periculum evasit. *Alexius Nieronovius* in consortem acceptâ Starodubovicensis Ducissæ consangvineâ, Ducalibus mitris novos accumulavit splendores. Marcus apud Ducem Smolenscensem strenuus bellator, cui *torvum spirabant præcordia Martem*. Et licet invida mors ipso juventutis flore vernantem succiderit, clarum tamen in annalibus Russicis illius nomen squallidæ oblivionis non obumbravit sipario. Generosa *Erasmi* proles *Efrem Nieronovius* Boleslai Crivousti signa secutus, semper innubem candoris serenitatē in Prin-

Erasmus, Alexius, Marcus, Nieronovij.

Efrem Nieronovius.

in Principe expertus, illuc triumphales promovit gressus, ubi fulgurabant enses, & *atro fata sinu Libitina rotabat.* Redux cum Fratre Romano in Russiam, Gubernatoris Kijoviensis filiam connubiali junxit fœdere. Illustre nomen *Pauli Nieronovij* in Sclavonica historia satis egregiè resplendet, qui Pannonicas involabat cohortes. Expugnatâ Haliciâ, captæ urbis omni præda, & thesauris à Kijoviensi Duce donatus. Apud Msciflaum & Leonem Duces Russiæ, Præfectum exercitûs agens, libenter seniles etiam annos Marti consecravit, adeoq; albicantes in capite maturæ senectutis nives ardebant ad pugnam, æstuabat belli caloribus frigida ætas. *Ut primùm strepuêre tubæ, ceu lubricus alta anguis humo verni blanda ad spiramina solis erigitur liber senio, & squallentibus annis exutus, lætisq; minax interuiret herbis.* Sic ille toties rejuvenescere videbatur, quoties ad prælium magnanimos heròés ferale classicum vocabat. Ereptus ex captivitate Scytharum, persoluto lytro per Ioannem uterinum Fratrem Msciflai Ducis superstitem filiam in conjugium accepit. Nimirũ Ducalis *Nieronoviorum* propago æqualitatem sanguinis, & pares titulos invenit. *Ioannes Nieronovius* primò apud Lubartum Luceoriensem Ducem, postea apud Iagiellonem Poloniæ Monarcham Curiæ Mareschalcus, egregius Tartarorum domitor in Kijoviensi terra bona sibi erepta vindice ferro recuperavit. Majorum suorum imagines Regij sanguinis colore pulchriùs adumbravit, affine Iagiellonis Granoviâ in vitæ consortium acceptâ. *Okinius Nieronovius* ab Avunculo Dovoinio aduitalitiè bona accepit, qvæ novo titulo Szpilowszczyzna appellavit, & se abhinc scripsit *Szpilovium*, à quo reliqui suam retinent denominationem. *Ioannes Nieronovius* ad aulam Sigismundi Ducis Litvaniæ degens, primò Colonellus, deinde Notarius Campestris connubium inijt cum Sorore Cõstantini Ducis Ostrogiensis Lituaniæ Generalissimi. Sigismundus in Regem Poloniæ coronatus cum Vladislao Fratre Hungariæ Rege, Maximilianum Imperatorem invi-

Paulus Nieronovius.

 suri,

Colligatio Domorum cum avitis SZCZVKOVIORVM Ceris

ſuri, Viennam convenerant, in quibus *Nieronovius* ad lucem lunæ ſubtilem annulum haſtâ induit, non ſine omnium ſtupore. Dux exercitus Ruthenici à Rege creatus, & Radivilij Lituaniæ Generaliſſimi ſocius, Starodubovienſem arcem à Moſchis obſidentibus, cum magna illorum ſtrage, liberavit. Extulit præpetibus alis Radiviliana Aquila magni Triumphatoris nomen, vocales ejuſdem tubæ plauſum dederunt ſtrenuo vindicatori. *Theodorum Tribunum Rzecycenſem, Georgium Iudicem Terreſtrem Mſciſlavienſem, Marcum Notarium Rzecycenſem, Hieronymum, Samuelem, Chriſtophorum, Bogdanum Nieronovios* ipſi immortalitatis faſti loquantur, non ſtricti margines levioris paginæ complectantur. Alios iterum extendit ramos procera conſanguinitatis Tuæ Arbor Illuſtriſſime Domine in eminentiori Montium vertice excreſcens. Magnum illi accedit decus ex Illuſtriſſimo Sangvine *Viſgierdorum, Oſtrogiorum, Mſcislaviorum, Dovoincorum, Lubeciorum Ducum.* Influunt Tui Sangvinis Erythreum alia purpurata flumina, nempe *Oginſcij, Brzoſtovij, Puzinæ, Mleczkovij, Abrahamovicij, Raieccij, Hulevicij, Medelij in Curlandia* à Marchionibus deſcendentes. Eodem conſanguinitatis fœdere Tibi conjunguntur avitæ geneſes *Roſtkowſciorum, Popowſciorum, Stetkievici-orum, Bychowſciorum, Gudzianſciorum, Kalinowſciorum, Brzozowſciorum, Boguſciorum, Swirſciorum, Glinkarum, Ianczewſciorum, Dobromirſciorum, Wolczkorum, Domaracciorum,* & plures alij cognationis nexus, quos longiori ſyllabo texere non expedit, ſed potius profundo venerari ſilentio.

Tenera ætas Illuſtriſſimi Referendarij.

Hucuſq; audentiori calamo exſpatiari licuit per ampliſſima Tuæ Domus atria Illuſtriſſime Domine, ubi Te ipſum in panegyrim evocat, attonitus hærere cogitur, vix primam Tuæ vitæ auroram magnis illuſtrem ſplendoribus attingit. Adhuc faſciatus eras puſio, & jam Tuum gigantem animum patritijs Montibus altiorem cunæ pueriles capere non potuerunt. Tui infantiles vagitus jam fulmi-

fulminibus in hostem detonare videbantur, cadentes ex oculis lachrymæ, plumbeam grandinem in barbarorum cervices depluebant, suaviori risu terebrata facies difficiliores salebras, & quosdam effusos aggeres orienti formidandos repræsentabat, adeoq; inter crepundia bella timebantur. Ita gratiosus eras, ut si Te in Lucinæ sinu Pallas, vel Bellona vidisset, millies ereptum in suo gremio sustentâsset. Adhuc in lacte materno suxisti canam gravitatem, simul cum vita Martiales hausisti spiritus, qui hucusque in Tuo pectore grandi æstuant incendio. Augustæ frontis augusta majestas maxima de Te pollicebatur, in tenerioribus ocellis Mars scintillans futurum bellatorem præsagiebat. *Raptâsti protinus arcum, tela puer lachrymis, & prima voce rogabas.* Quoties Te Parens Tuus *pectore pressit anhelo intrepidum ferri, galeæ vel triste timentem fulgur, & ad summas tendentem brachia cristas.* Nunquam Te minoribus coætaneis miscebas, sed canitie tectis capitibus, ut aliquid addisceres, & teneræ menti impressum postea in adultiori ætate refricares. Contempsisti arenosa puerorum propugnacula, & nivibus constructas arces, utpote ventorum ludibria, jam in prætextata ætate Tuæ menti veræ fortalitiorum imagines obversabantur, fortiùs inhærebat cogitationi valida præsidiorum expugnatio. Non bullas diversis variegatas coloribus per aëra spargere Tuæ teneritudini placuit, vel puériles captare nuces, sed tormentariæ pilæ Tibi ludus erant, ad ignitos dolones juvenilis animus rapiebatur. Illis reliquisti friuolam levitatem, quibus equitare in arundine longa proprium, in Te adhuc bullato gravitatis senium expressisti, illum juvenem æmulatus, de quo Mantuanus Vates concinit: *Pulcher Iulus ante annos animumq; gerens, curamq; senilem.* Quis tandem non admiretur Tuæ doctioris pennæ velocitatem, quam ipse Bellerophon alato Pegaso sequi nunquam attentaret. Omnem ignaviam à Te expunxisti eruditiori calamo, quòd si iterum redire auderet è scholastica arena vallum eidem objecisti, ne *In studijs celeritas ingenij.*

E faci-

facilem ad Te aditum inveniret. Dulce nectar facundi Tui oris amara condivisset absynthia, ut alter Ambrosius crederêris, cui in labris operosæ apes suave deposuerunt mellificium. Aliorum somnolentiam luna suis exstimulat cornibus, ignita stellarum calcaria excitant, turpi nihilominus stertentes veterno minimè evigilant Endimiones; talibus à coelo non indigebas stimulis, quia illud irretortâ aspexisti pupillâ sub profundæ noctis conticinium. Multos numeramus idololatras, qui somnum mortis imaginem singulari cultu adorant, rarum invenias iconoclastam, qui hanc effigiem contemnat, Tu verò semper contempsisti. Pluribus inter pulvinaria sopore gravatũ caput plumescit, vel brachia pennas induunt, quasi verò ejusmodi alis evolare possint ad ipsa immortalitatis confinia, verùm plumea illa voluptas plumbea quædam est sarcina: Tua celeritas alata esse videbatur, non inter molliores culcitras, sed doctioribus calamis instructa. Peligni oloris plumæ delicatiorem Tibi pulvillum præbebant, scilicet tristes Ovidij elegiæ, quibus perlectis, brevem carpebas somnum. Ipsæ Tibi indignabantur noctes, quòd nativas illarum umbras non unâ Cleantis lucernâ, sed millenis ignibus propulsaveris, à magni ingenij lumine externam etiam amandans obscuritatem. Lætior flamma non tam innato calore ardebat, quàm desiderio quodam Tuos subintrandi obtutus, qui semper squallentes umbras oderunt. Quia impalluisti ad libros, facilè inter primos sapientiæ candidatos numerabaris; pulchrè tamen pallorem hunc verborum purpurissus exornabat, quando ipsas loqui rosas incepisti. Nemo apud Te pretiosum fuisse tempus negaverit, quia illud scholastici sudoris gemmæ distinxerunt. Quoties ligati Apollinis vincula, vel auream facundiæ catenam humanis mentibus injecisti, semper captivatæ eò ducebantur, quò illas disertior Tua lingua trahebat. In utroq; Te Cæsarem demonstrâsti, pulchrius esse existimans, si metricos pedes altior eloquentiæ cothurnus exornet. Quid mirum in

SZCZV-

SZCZVKOVIANA Domo tot sapientes viros reperiri, quibus gentilitij Montes doctiorem Parnassum adumbrant. Ad Aristotelici organi sonos Philosophicum cursum feliciter absolvisti, satis in illo velociori saltu circumspectus, quia omnem vitiosum circulum evitâsti. Musæ quondam in volucres mutatæ ex Pyrenæi ædibus evolârunt, ut Tuum involarent sinum, citiùs plumescebant, ipsas aves superaturæ pernici alarum remigio. Adhuc teneriore manu in terno Monte plantâsti Apollinis lauros, suavem sub illis captaturus umbram, ut aliquantisper post longos in literarjo cursu anhelitus respirares. Hastatæ Palladis miles ita contra otium infensissimum scholasticis profectus hostem ingenio decertâsti, ut Pöeticis à Te vulneratum cæsuris, pedibus conculcatum, ligatæ orationis constrictum vinculis, palmam cencederet suo triumphatori. Iterum Tecum pugnare non audebat, ne Rhetoricis demersum fontibus, vel cornutis Philosophiæ argumentis confixum turpiter occumberet. Respondes non dubiæ spei, quam in primo juventutis Tuæ flore multorum formabant auguria, quia Te talem experiuntur, qualis non inani voto expectari poteras. A Romanis Lucijs ducens originem, Tua luce Academi lucos illustrâsti: nunquam pulchriùs illi umbrosi saltus resplendere poterant, quàm Tuis circumfusi splendoribus. Novam accendisti diem, quam ipsa etiã Minervæ noctua libenter inconnivâ spectaret palpebrâ, amicam aliàs suæ naturæ dedignata caliginẽ. Manuductrice sapientia venisti ad Aulam Serenissimi IOANNIS III. maximum perennaturæ gloriæ theatrum. Primæ magnitudinis sidus Augustus noster amat ejusmodi phoenomena, quæ magnis illius fulgoribus suum adaugent lumen. Inuictissimus Monarcha illos Scuto bonæ voluntatis coronat, quibus egregia indoles, & bellica dexteritas ad immortalem famam non humile præbet suffragium. Martem hunc coronatum alacri passu sequebaris, quocunq; Regnatorẽ Clypeum deflexit, sive in Othomanicam lunam, sive in

Ad Aulam Serenissimi IOANNIS III. alacre obsequium.

volaticas Scytharum excursiones. Post fata Samuelis Prazmowski Palatini Plocensis, cataphractorum militum cohortem tenendam accepisti, quam proprio impendio sustentas. Auream hanc liberalitatis messem penes signatorium Rastrum grata suspicit patria, & Bellonæ devota pectora veneratur. Aureo hoc imbre non unum Perseum, sed centenos produxisti, qui clypeis armati unà Tecum hostiles frangunt conatus. Effudisti pretiosum munificentiæ Tagum, in quo strenui milites lubricam piscarentur fortunam, vel ancipitem caperent victoriam. Semper apertam in subsidium patriæ habes dexteram, utroq; illam tueris, auro & chalybe, optimus Tuæ matris defensor. Pulchra hæc animi oblectatio, galeatos Gradivi leones aureis retibus venari: ejusmodi feræ talibus detinentur laqueis, licet ferreis mucronum cancellis intertextas caveas facilè perrumpant. Optima bonorum dilapidatio, ex qua angulares Reipublicæ lapides assurgunt, & infractæ ad omnem impetum exscinduntur columnæ. Suavissima quædam tyrannis est, & clemens crudelitas, damnare quam plurimos ad metalla, quæ non ex visceribus terræ, sed benefica manu eruuntur. Medicabile vulnus, si liberalis dextera jactat argenteas Philippi hastas: simile hastifragium non terret heroum animos, sed delectat. Mille dignus es adoreis Illustrissime Domine, quòd proprio peculio solvas stipendia generoso militi, Tuum in patriam amorem, & *nomen in aures gloria sparsa feret, Te nec ventura silebunt lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.* Quæ tandem lingua edisseret quantùm placuerit Serenissimo Principi vivax Tuum ingenium? ideoq; vivum illud argentum calamo inclusit, quo Regiæ mentis arcana in paginâ effundis. Tuæ pennæ veluti aureæ clavi inæstimabilem Regalis judicij thesaurum IOANNES III. concredidit, ad multorum desideria reserandum. Ipsæ literarum umbræ, quas aliquando exarâsti, illustres fuerunt, quia Serenissimæ Majestatis radios in se occultabant: non calamus credebatur

Proprio ære cataphractam militum cohortem sustentat.

in Tua

in Tua manu, ſed Promethei virga à ſplendidiſſimo ſole accenſa inſolitum lumen diffundens. Quotieſcunque Conclavis Regij ſigillum molliori ceræ impreſſiſti, toties ſignatoria regni Aquila Sereniſſimo Vmbone armatum pectus in defenſionem legum oppoſuit, ipſa papyrus ſtetit cataphracta, omnes paginæ clypeatæ in munitionem ſe ſe armabant. Sit ſanè Poëtarum figmentum nata Pallade gemmeam de cælo grandinem cecidiſſe, è Tuo capite prognatæ Minervæ unica ſigillatoria gemma pro mille alijs ſufficit ad ornamentum. Quondam Tui Staniſlai digitus à piſce devoratus abſcondi non poterat, quia illum accenſa fax prodidit: quid mirum quod Tua tota manus in abdito latere non potuerit, Regnantis Sereniſſimi radijs illuſtrata. Ad nutum Principis Tuum volubile obſequium circularem Regni, & Regis Annulum promeruit. Pro triumphali curru aureas publicæ fortunæ rotas habuiſti, quibus in Capitolium honoris provectus, virtute prodroma altiora ſubſellia aſcendes. Ipſa Sarmatica ales Te ſuis in altum libravit pennis, quæ tenaciùs Tuis adhæſit manibus, quàm ſigillatrici ceræ, quia apud Te libenter deliciabatur. Hucuſq; patria noſtra tenet altiori infixam memoriæ Tuam Illuſtriſſime Domine prudentiam, quâ in publicis Comitiorum conſilijs tot capita, & ſenſus Civium moderabaris. Totius Equeſtris Ordinis ſupremus Director omnium vota & affectus Tua dexteritate traxiſti. Nemo fuit, qui ad Mareſchalcalem lituum promovendo ſuum non dediſſet ſuffragium. Inter electorales calculos ambulatoriæ hominum voluntates ſtadiodromas agunt, quodſi futurus honoris candidatus in meta probatæ virtutis bravium illis proponat, omnes ad illud unanimiter concurrunt. Ille Tuus Scipio in Reipublicæ Liburnica optimus fuit malus, quo inſtructa feliciter contrarios difficultatum fluctus ſuperare poterat, quia in domeſticis SZCZVKOVIORVM Montibus bonæ ſpei Promontoriũ, an potiùs Inſulas Fortunatas invenit. Virga illa directionis, quam Supremus Comitiorum Moderator geſſiſti,

In Comitijs Regni Mareſchalcus electus Annò 1688.

 veluti

veluti in sacra pagina Aaronis quosdam lætitiæ flores toti patriæ in hyeme produxit, imò maturos consilij fructus in bellaria apposuit. Redivivum in Te vidimus Mercurium, cui hoc caduceo dissidentium animorum sensus cōciliandi nemine reclamante concessa facultas. Solus Tu in omnium affectibus regnabas, illi in Tuo dominabantur: Tu omnium ore loquebaris, illi Tuo dicebant. Necdum ex integro prolata verba, & jam ab audientibus certatim ex Tua lingua rapiebantur, quilibet dimidiatas etiam voces avidissimè furabatur. Inhiabant tornatæ Tuæ dictioni avari prædones, profundo pectore suspiria prementes. Veluti apum examina sine murmure convolabant ad Tuæ eloquentiæ mella, suavemq; prudentiæ Hymettum. Propiùs adstantes Tui oris spiritu vivere quodammodo videbantur, quasi Chamalæontes lenioribus Ethesijs, illum in animis expressuri colorē, quem Tuus erga patriā candor depinxit. Loquens ita omnibus placebas, ut in quādā mentis extasim singulos rapueris: tanta verborum gravitate perorabas, ut quemlibet in Tuam traxeris sententiam. Iucundum erat videre à Tuo mille vultus obstupefactos pendere, mille oculos in Te defixos teneri: nemo fuit qui Te attonitus non aspexisset: plures numerabantur, qui Tuum suave eloquium privatis annotabant codicillis, vel memoriæ imprimebant. Acerrimum egisti defensorem Polonæ libertatis, quæ nunquam securior esse poterat, quàm in gentilitijs SZCZVKOVIORVM Montibus consistens. In rebus arduis semper Tibi fuerunt ponderatissima oracula, quæ nec Apollinis cortina, nec Trophonij antrum dedisset. Cana apud Te consilia scipione non egebant, quo fulcirentur, quia solido passu ad boni communis promotionem festinabant, ipsa tantùm manus ornari debuit Mareschalcali baculo, penes quem Supremus Director coronæ Civium vocem dispensares. Publicas agendi provincias toties suscepisti Illustrissime Domine, in Commissarium assignatus nomine Serenissimi Regis cum Danilovicio Thesaurario Curiæ ad Tribunal

Variæ Legationes Illustrissimi Domini.

nal Regni. Stupuit Sarmatica Themis Tuum ingenium acrius suo mucrone, & gravissimum judicij pondus nequaquam sua bilance librandum esse putavit. Æquitatis amātissimus re ipsa Stanislaum te probâsti, ad cujus vocem veritas de terra orta prodiit, & justitia de cælo prospexit. Ex Comitijs ad tractatus cum Moschis ineundos delegatus, egregiè hanc Spartā coluisti: secundaria Tibi datur Cōmissio iterum Pressoviam, ad deditionem persuadendam ad Serenissimum Fridericum III, Electorem Brandeburgicum cum Illustrissimo Domino *Hieronymo Lubomirski* S. R. I. Principe, protunc Curiæ Regni Mareschalco, nūc supremo Thesaurario Regni. Dedit plenariam potestatem Respublica Tuæ activitati summa tractandi negotia, quia Te parem tanto muneri Legatum judicavit. Non pridem ad Augusta Serenissimæ TERESIÆ Connubij fædera cum Serenissimo ELECTORE BAVARIÆ Commissarium egisti, cum exterorum admiratione, & patriæ ingenti solatio. Irrugijt Bavaricus Leo ad Tui salutationem, summam in agendo dexteritatem admiratus: libenter Te aspexit sol peregrinus, omnes discutiens nimbos, ut gratissimum advenam diutiùs posset intueri. Martiales Tuos ausus Illustrissime Domine *meritis sustentat fama trophæis*, quia tot prælijs adfuisti, quæ abhinc pluribus annis, vel non ita pridem contra superbum orientem gerebantur. Pennata celeritate pervolabas cælo conterminos montes, glaciale Carpati supercilium calcans triumphali vestigio. Vidit Hungaria Te sequentem palmares gressus Serenissimi IOANNIS III. altiùs seipsam attollens tumidis gibbosa montibus, ut Tuo meliùs frueretur aspectu. Quòd si ulteriùs progrediebaris, in lachrymas quodammodo solutæ vites effusè Tuam absentiam plorabant, Te recedente purpurascentes racemi sensim expallescere videbantur. In Viennensi & Strigoniensi expeditione victore gladio messuisti hostium capita, ultra Hierasum, Seretumq; fluvios: & ad Achilleam usq; Budziacen-

Bellicæ expeditiones.

 dziacen-

dziacenses campos Tuus grassabatur ensis, ad cujus graviorem ictum hostium vires elidebantur, *extremisq́ animæ singultibus errans alternus nunc ore cruor, nunc vulnere fluxit.* Tributarij Tuis virtutibus honores certatim in Tuum sinum ruebant, unus alium præcurrere voluit, quilibet agilis in illo cursu stadiodromus. Publica Regni Acta activum Te in omnibus testantur, magnum illis addidisti pretium, Tui inquam sudoris gemmas. Alibi perditæ causæ veluti quædam navigia in naufragas dissipata tabellas adversis fatorum feruntur fluctibus, apud Te semper portum inveniunt tersissimo Tui ingenij lumine splẽdidam Pharum illis accendente. Vivet nunquam morituræ laudis memoria in publicis Regni monumentis, in quibus nunquam sepelitur fama, sed immortalis servatur.

Regens Cancellariæ Regni.

Palatinatus Lublinensis Cervus non gratis Te suum fontem sitiebat, millenis anhelans desiderijs, quia Gubernatorem Lublinensem salutavit: pulchrior Tu illi corona, quàm illa, quæ collum ipsius aureo obligavit circulo. Fera hæc libenter cum gentilitio Lublini Capro in Tuis exspatiatur Montibus læto supplodens pedemate, quòd illi inter victrices laureas deliciari liceat.

Gubernator Lublinensis.

In Referendariatû Regni constitutus, gratanter supplices libellos recipis: gratiosa Tui vultus serenitas lachrymis miserorum spongia quædam est: Tui oculi alienæ tristitiæ umbris lux desideratissima: Tuæ manus calamitosorum receptacula. Brevi Te sustentabunt laticlaviæ curules; præmiatrix meritorum Serenissima Manus Tuos in Republica labores amplioribus titulis coronabit.

Referendarius Regni.